



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

17. Verâ pœnitentiâ opus esse, qui verè veniam consequi volunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Iudæ proditoris; Christumque crucifigunt denuo, & sacrosanctum sanguinem eius pedibus conculcant? 4. Quanti ad montem Oliueti in tenebris eunt, vt cum Iuda osculum captent, dum amarijs suis in ipsis templis insidiantur; & alijs cum Christo sanctissimè orantibus, ipsi occasionem quærunt saltem oculis libidinandi? 5. Quanti Christum toto anno in SS. Eucharistia inclusum sinunt quasi in carcere esse, neque eum visitare, aut sumere appetunt, in pectoris sui hospicio collocandum. 6. Quàm vili pretio aut labore eum emunt? vix ad templum eunt, vix se ad confessionem præparant: vix vnum dolorem, aut suspirium, aut emendationis propositum eliciunt: multi ne vnam quidem lachrymulam pro eo darent, ne vnum gemitum; quid enim dicam, ne vnum ieiunium, cilicium, aut flagellum? 7. Immò ei, cum Iudæis, illudunt mille modis. 8. Eum flagellant, è domo educunt; eijciunt è ciuitate; è pectoribus suis, è memoria, ex ipsis iconibus eradunt. Quid enim aliud est, obliuisci monitorum Christi, eiusque beneficia nolle meminisse? 9. Quid de magis & sagis dicam, qui hostiam sacram, in conuentibus suis concriminantur, & acubus, cultris, pugionibus conuulnerant, neque se sinunt miraculo sanguinis inde emicantis commoueri? Clarissimum prodigium cum vident, rident; cum animaduertunt, contemnunt. An non hoc est dicere: *sanguis eius super nos, & super capita nostra?* Qui per cruenta bella venit super capita nostra: vt satis diu experti sumus. Necdum tamen pœnitentiam agimus, vt etiam in obduratione Iudæorum contumaciæ, tandemque etiam pœnæ assimillemur. Et sanè gladius hostilis nondum est in vagina; Turcius in ceruices Christianorum acuitur. Sicut ergo Iudæis Christum occidentibus, & pœnitentiam non agentibus, ita nobis fieri potest. Nisi eum tandem aliquando conciliemus, paria reddentur.

At conciliamus, per pœnitentiam? per veram, non fictam. Verè recens quidam author scripsit: *Nulla modo exaudiuntur, qui à calamitatibus liberari cupiunt, nec inimicitiam, quam cum Deo exercent, ponere vel afflicti cogitant. Ignouit Cesar multis, qui impium contra Maiestatem suam bellum gesserunt, cadibus, incendijs, stupris grassati sunt. Nullius illa oratio fuit: Veniam se cupere, reddi suo promouijs*

uincijs & opibus, restitui sibi honores & dignitates; interim odisse se ad-
huc Casarem, inimicitiam profiteri, contra eius honorem, voluntatem,
commoda, imperium, omnia moliturum, amicis infestam fore. Nemo
sic insanit, ut sic ignoscantiam flagitet, adeoq; precibus conuitia & exe-
crationes in Casarem coniungat. Quod in terrena & creata fragilib;,
Maiestate colenda ac deprecanda detestamur, multi cum ad incretam
creatricem Maiestatem veniunt oratum, vsurpant: Victoriã, opes,
securitatem, pacem, incolumitatẽ precantur; clãdes, rapinas, exilia, car-
ceres, seruitutem, mortem deprecantur: nec impijs tamen affectus, ma-
lamq; voluntatem delinquendi, qua se Deo inimicos esse norunt, animo
excusant. Cetera mala fugiunt, summum malum, quod in Dei odio
cernitur, contumaciter retentant; cetera bona concupiscunt, summum
bonum, quod in Dei amicitia consistit, abominantur. Audiamus, obse-
ro, qualis sit in auribus Dei Sabaoth oratio eorum, qui flagellantur, nec
tamen penitentiam agunt, sed in delictis contabescunt, & obdurantur.

XVIII.

Magne Deus, Domine exercituum, triumphator, immitte hosti-
bus pauorem & fugam, nobis victoriã concede; hoc inimicus tuus pe-
to, affectu, aut etiam facto in odio tui perseverans; victoriã manu
tuum, quod postulo, me inclytum & gloriosum faciat; ne tamen in al-
tum elatus inferiores opprimere, arroganterq; calcare desinam; quin &
nomen tuum blasphemare pergã. Nec enim hæc mea facta detestor;
nec emendandi propositum habeo, etiam Principi meo obstare conor, ne
legibus crimina viciscatur. Vis aliud orationis paradigma? Deus
refugium meum & virtus, da securitatem, ne perpetuo in metu & tre-
pidatione anxiam cogar animam habere. Securitatem ab hoste; secu-
ritatem huius mundi: da hoc inimico tuo, ut sine metu fruatur delicijs, ne
voluptates, quibus immersus hæreo, quas eripi mihi, etiam te iubente,
nolo, infausis calamitatum nuntijs turbentur. Deus pacis amator &
conciliator, bella aufer de medio, cessent præda, incendia, cada,
da inimico tuo, mihi, inquam, qui tecum bellum gero, qui legem
tuam rumpo, qui iterum Filium tuum crucifigo, qui pacis bonis,
ad opes, ludos, libidines uti cogito; da pacem cum hoste & mundo;
tuam tibi pacem habeto. Deus, qui es vita nostra, da corporis sanita-
tem, ut vires mihi sint ad deiciendos alios, ad epularum assiduitatem,
ad luxuriandi potentiam: illa hætenus commisi; illa mihi in posterum
scopus sunt, & vita finis. Deus iudex iuste, Deus odio habens iniusti-

tiano